

Integer assumitur.
 Sumit unus, sumunt mille.
 Quantum isti, tantum ille;
 Nec sumptus consumitur.
 Mors est malis, vita bonis.
 Vide paris sumptionis
 Quam sit dispar exitus.
 Fractio demum sacramento,
 Ne vacilles, sed memento
 Tantum esse sub fragmento
 Quantum toto tegitur.
 Nulla rei fit scissura,
 Signi tantum fit fractura,
 Qua nec status, nec statura
 Signati minuitur.
 Ecce panis Angelorum,
 Factus cibus viatorum,
 Vere panis filiorum,
 Non mitendus canibus.
 In figuris presignatur,
 Cum Isaac immolatur,
 Agnus paschæ deputatur,
 Datur manna patribus.
 Bone pastor, panis vere,
 Jesu nostri miserere,
 Tu nos pasce, nos tuere,
 Tu nos bona fac videre
 In terra viventium.
 Tu qui cuncta scis, & vales,
 Qui nos pascis hic mortales,
 Tuos ibi commensales,
 Coheredes, & sodales,
 Fac sanctorum civium. Amen.

Secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, & tur-
 bis Judæorum: Caro mea vere est cibus, & san-
 guis meus vere est potus. Qui manducat meam car-
 nem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego vi-
 vo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vi-
 vet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit.
 Non sicut manducaverunt patres vestri manna, &

mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Credo.
 Offeruntur. Sacerdotes incensum Domini, & pa-
 nes offerunt Deo; & ideo sancti erunt Deo suo, &
 non polluent nomen ejus. Alleluja.

Secrata.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus Domine, unitatis, &
 pacis propitius dona concede, quæ sub oblati-
 s numeribus mystice designantur.

Præfatio. Quia per incarnati.
 Sanctus. Divinam mysterium semper declaratur,
 & mens infidelium tumens exaceratur, firma spes
 credentium fide roboratur.

Sanctus. Fides est summo opere credere in Deum,
 panem sanctum edere, & tractare eum. Jubens di-
 cit: Sumite: hoc est corpus meum.

Sanctus. Panis prius cernitur; sed dum consecra-
 tur, caro Christi sic mutatur: quomodo converti-
 tur, Deus operatur.

Dominus Deus Sabaoth. De vino similiter, si sit
 benedictum, & tunc est veraciter sanguis Christi
 dictum: credamus communiter verum, & non fic-
 tum.

*Pleni sunt cæli, & terra gloria tua: hosanna in ex-
 celsis.* Nobis celebrantibus istud sacramentum, &
 cunctis fidelibus fiat nutrimentum, Judæis negan-
 tibus sit in detrimentum. *Benedictus qui venit in no-
 mine domini: hosanna in excelsis.*

Communio. Quotiescumque manducabitis panem
 hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annun-
 tiabitis donec veniat. Itaque quotiescumque manducave-
 rit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus
 erit corporis, & sanguinis Domini. Alleluja.

Postcommunio.

FAC nos, quæsumus Domine, Divinitatis tuæ
 sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi cor-
 pori, & sanguinis tui temporalis perceptio præfigu-
 rat: qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate
 Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.
 Amen.

IN DUO SEQUENTIA
 OPUSCULA
 FR. JOANNIS FRANCISCI BERNARDI
 MARIE DE RUBEIS
 ORDINIS PRÆDICATORUM,
 AD MONITIO PRÆVIA

De Opusculis, de Regimine Principum ad Regem Cypri, itemque de Eruditione
 Principum, atque de Regimine Judæorum ad Comitissam Flandriæ.

CAPUT I.

*Opus de Regimine Principum ad Regem Cypri Sancto Thoma Aquinatis aduvertant Veteres: quis ille Rex Cypri.
 Libri quatuor qui prostant, non unum Opus conficere videntur, sed opera duo diversa. Primi operis pars major
 est Aquinatis, reliqua Pitholomæi Lucensis.*

I. Vicesimum in Editione Romana numeratur Opusculum, de Regimine Principum ad Regem Cypri. Etu-
 cubationem hanc ab Aquinate concinnatam, tradunt Veteres. Pitholomæus Lucensis in Hist. Eccl.
 Libro XXIII. Capite xlii. sic ait: „Item Tractatus de Regimine Principum, qui sic incipit: *Cogitanti mihi
 quid offerrem.* Quem librum scripsit ad Regem Cypri.“ Bartholomæus Logobeta: *De Regno ad Regem
 Cypri.* Bernardus Guidonis: *Tractatus de Regimine Principum ad Regem Cypri: qui incipit: Cogitanti mihi quid
 offerrem Regiæ celsitudinis dignum.* Nicolaus Trivetus: *De Regno ad Regem Cypri.* Joannes de Columna: *De
 Regimine Regum ad Regem Cypri: quod quidem Opus minime complevit.* Consentiant Pignonus, Valleoleta-
 nus, S. Antoninus.

Quis ille fuerit Rex Cypri? Jo: Paulus Nazarius vocat *Americum*: at Cypri regnum tota Aquinatis tra-
 te administravit nemo, qui *Americus* appellaretur. Stephanus de Lusignano in Genealogia Regum Cypri
 apud Behardum, censet esse *Hugonem III.* à stirpe Lusiana, Principem primo Antiochiæ, circa annum
 1267. Regem Cypri, demum Hierosolymorum Regem. *Hugoni II.* qui præcesserat, anno 1266. vel in-
 sequenti denaro, cum annorum ætatis quatuordecim esset, inscriptum Opusculum, verisimiliter existimar
 Echaridus. Ipsam consule egregie disserentem.

II. In Libros quatuor tributum opus exhibens Codices MSS. ac typis edita exempla. At Opuscula duo dis-
 tinguenta esse: tributa singula in Libros duos, verissime animadvertit Doctissimus Echaridus. In fine li-
 bri primi hæc habentur: *Hæc igitur sunt, quæ ad Regis officium pertinent, de quibus per singula diligentius
 tractare oportet.* Argumenta indicantur, quæ Libro secundo exponi debeant. In hujus calce postrema hæc ver-
 ba sunt: *Hæc igitur de pertinentibus ad regimen cuiuscumque Domini, sed præcipue Regalis in hoc Libro in tan-
 tum sunt dicta.* His utique verbis satis indicat Auctor, de dominio sibi nihil suppressè addendum: unde ne-
 quis etiam nullus appareat, quo sicuti primus cum altero, ita iste cum tercio connecti debeat.

In ipso Libro tertio initium sumitur ab ovo: agiturque de origine domini, quod esse à Deo ostenditur.
 In Præfatione primi Libri dixerat Auctor: „Occurrit... ut Regi librum de Regno conscriberem: in quo
 & Regni originem, & ea quæ ad Regis officium pertinent, secundum Scripturæ divinæ auctoritatem,
 Philosophorum dogma, & exempla laudatorum Principum depremerem.“ Tum originem domini capite
 1. patefacit hisce principiis: 1. „Hominis est aliquis finis, ad quem tota vita ejus, & actio ordinatur. 2.
 „Naturale est homini, ut sit animal sociale, & politicum, in multitudine vivens: 3. Est necessarium ho-
 „mini, qui in multitudine vivit, ut unus ab alio adjuvetur. 4. Si naturale est homini quod in societate mul-
 „torum vivat, necesse est in hominibus esse, per quod multitudo regatur. Regentis Domini, seu domini
 „origo patet. Hæc eadem origo exponenda adsumitur Libro tertio: eademque capite 1. sumitur, *conside-
 rata natura entis: cap. 2. ex consideratione motus: capite 3. per considerationem finis.* Quid opus erat, rem à
 principio redauspicari? Variam etiam animadvertere methodum, differentemque doctrinam.

A versiculo sacre Scripturæ tum Libri tertii, tum Quarti sumitur initium. Tertius incipit: *Et quia cor
 Regis in manu Dei, quocumque voluerit inclinabit illud: ut in Proverb. 21. scribitur: quod & ille magnus
 Monarcha in Oriente Cyrus videlicet Rex Persarum, per publicum confiteatur edictum.* Quarti initium
 est: „Constituens eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domane. (Psal. 44.) Licet do-
 „minium omne, sive Principatus à Deo sit institutus &c.“ Non ita se gerit in duobus prioribus Auctor:
 qui

qui propterea diversum ab Auctore posteriorum se prodit.

III. Argumentum igitur opus Aquinatis adjudicandum, evincunt probatissimi veteres Nomenclatores, qui hujusce argumendi elucubrationem ad Regem Cypri inter genuina recensent ejusdem opera. Hanc *minime* ab Aquinate *completam*, diserte adnotat Joannes de Columna.

Paulus Frigerius, Oratorii Romani Sodalis, in Vita S. Thomæ italicè scripta, hæc habet animadversione dignissima Libro I. cap. x. num. 7. „L' Opuscolo de *Regimine Principum*, in quattro libri compilato, fu condotto da Tommaso sino al quarto Capitolo del secondo Libro, cioè insino à quelle parole: *opportunitum est agitur in conversatione humana medicum delectationis pro condimento habere, ut animus hominis recreetur*. Ed inrimamente fu seguitato da Tolomeo Lucchese del medesimo Ordine, Discepolo del Santo; come chiaramente apparisce da un antico Manoscritto de' medesimi Opuscoli volgarizzati, somministratomi dalla somma benignità di Papa Alessandro VII. di santa memoria. Ove sopra le alligate parole del quarto Capitolo del secondo Libro leggesi nella margine così notato: *Qui finisce secondo il Beato Tomaso*. Hanc roborant animadversionem Codices MSS. Parisiensis Genovesianus desinit ad illa verba ejusdem quarti Capituli, quæ sic efferuntur: *Optimum est autem in conversatione humana*. Consonat Veneris Bibliothecæ Sancti Joannis & Pauli: ac faveat etiam Vidorius Parisiensis apud Echardum, qui ad ea præcedit quinti Capituli verba: *ac diffusius documentum tradidit*.

Partem reliquam Libri secundi complese Ptolomæum Lucensem, idque egisse ipsum ex Thomæ Aquinatis schedis, verissimum est. Codicem Florentinum Medicum indicat laudatus Echardus, in quo hæc habentur: *Liber de Rege, & Regno, inceptus à Vener. Doctore S. Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum, postea completus à F. Ptolomæo de Lucha ejusdem Ordinis, qui tandem fuit Episcopus Torcellanus*. Hæc etiam verba habet Codex à Frigerio allatus in calce totius Operis: *qui comple il quarto libro del Re, e del Regno, cominciato dal Ven. Dottore S. Tomaso de Aquino, postea compiuto da Fra Tolomeo da Lucca del medesimo Ordine, che fu Vescovo di Torcello*. Operam suam contulisse Ptolomæum, ut ceptum à Doctore Angelico perficeret opus, satis constat: num vero præter libri secundi partem addiderit ipse tertium librum, & quartum, infra discutendum.

CAPUT II.

Jo. Ambrosii Barbavara Censura: animadversiones in primam ejusdem partem, quæ priores libros duos abjudicat ab Aquinate. Aequior est pars altera in duos posteriores. Hic Ptolomæo Lucensi tribui solent.

I. Censure, quæ Jo. Ambrosius Barbavara notavit Opusculum, pauca verba afferit Petrus de Alva in Prologo Sol. Ver. nempe, *Ab auctore inferioris classis compositum esse, pleraque fidem faciunt: itemque: Talia vero meditatum Deum Thomam ego nusquam crederim, licet fuerit potestatis Pontificiæ assertor gravissimus*. At quæ reprehendat Barbavara, (inquit Echardus,) non addit Alva. Integram ego censuram profero.

Opusculum XX. de *Regimine Principum*, ab auctore longe inferioris classis compositum esse, pleraque fidem faciunt: præsertim vero ordo ubique neglectus. Primo libro cum probandam suscepisset necessitatem regiminis ex hoc, quod homo natura est animal sociale: atque hæc necessitas, non ex qualibet hominum societate & congregatione colligatur, sed ex ea tantum, quæ dicitur *Civitas*; constituenda sibi fuerat à principio ratio Civitatis, quod tamen non fecit nisi quarto Libro. Præterea statim apertè distinctio illa domini in *Despoticum*, & *Politicum*, ut appareret, utrum illorum necessarium foret Civitati constituendæ: quæ consideratio ab illo rejicitur in *septimum usque caput secundi libri*. Tum vero, quia quilibet homo à natura liber videtur, monstrandum subinde erat, quod non solum homo natura dominus est brutorum animalium; sed etiam inter ipsos homines quidam sunt aliorum natura domini, & proinde regimen tum jure naturali, tum etiam divino constare: quæ tamen in *tertio tantum Libro* locum apud ipsum meruere *Cap. 1. 2. & 8.* Sic vero stabilita ratione domini, distinguendum illud fuerat in suas partes, & distribuendum in *regimen unius & multorum*: item in *spirituale & temporale* ex quo de regimine etiam Pontificis setmonem facturus erat *Capite decimo tertii libri*. Atque collaudato præ cæteris eius munus, antequam stilam conferret ad ea, quibus Reges impelli debent ad bene administrandum. Quare 12. 13. & 14. *Capita primi libri* præponenda fuissent 7. 8. 9. & 10. atque undecimo Capitibus ejusdem libri. Ad hæc, cum illæ conditiones, quas exigit à Principe in *secundo libro*, sint communes cuilibet regimini, & non solum Regio, ut ipsemet Auctor veritate coactus protestatur in *sine ejusdem libri*: prius omnium regiminum species tractandæ erant, nec differenda erat sua politia usque ad quartum. Sed hæc de ordine: nam in singulis quoque libris aliquid est, quod præsentem censuram subire merito possit. *Primi libri Capite 10.* discrimen importune affert *inter servum, & liberum*: importune inquam; cum ea differentia nulli deinceps usui sibi fuisse appareat. In *ultimo Capite officium esse ait Principis, ut per legem divinam edocet, illa multitudini curet, per quæ vitam æternam consequatur*: quasi in hunc finem immediate tendat civilis potestas. Ita vero triumphabant recentiores Hæretici, qui omnia Principibus deferunt in contemptum Pontificiæ Majestatis. Verum hic error accidit ex perturbato dicendorum ordine: quo fit, ut potestates inter se confundat, & earum munera. Dumque studet, Principem tum politicum, tum christianum formare, neutrum instituit, sed alit monstrum. Quemadmodum etiam in *Secundo libro Cap. 3.* ubi dum commercium extraneorum damnat, se Aristotelis potius, quam Pauli discipulum prodit. Nam Paulus ait, in Christo Jesu non est masculus & femina, gentilis & Judæus, barbarus & Scythæ. Censuræ pars alia inferius describenda erit.

Non verocè, ne Ambrosio Barbavara, perturbatum primi, & secundi libri ordinem existimanti, peritus quisque attentusque Lector non dissentiat, ordinemque ab ipso propositum facillime non rejiciat. Optimum primi, & secundi Libri ordinem non vidit, vulgata opinione deceptus de uno eodemque opere de Re-

gimine Principum, in *Libros quatuor* tribuo. Duplex distingue opus: ac rectissimum, Aquinate dignus, in Opere priore apparebit ordo. Namque *Capite 1.* evincitur, homines simul videntes ab aliquo diligenter regi oportere: *Cap. 2.* utilis ac tutius esse, regi per unum, quam per plures: *Capite 3.* unitus dominium, cum justum est, optimum esse: *Capite 4.* apud Romanos quidem auctam esse amplificatamque Rempublicam sub dominio multorum: *Capite 5.* plurimum atarum dominium facile degenerare in tyrannidem posse: *Capite 6.* hinc dominium unius apparere optimum: *Capite 7.* præmium sibi Regem ob rectam administrationem præferre non debere honorem, & gloriam, & bona mundana: *Capite 8.* immo æternam beatitudinem: *Capite 9.* & eminentem quidem cælestis beatitudinis gradum: *Capite 10.* Regibus atarum, qui juste regunt, temporalia quoque commoda, & emolumenta obvenire: *Capite 11.* inter hæc vero computari divitias, potestatem, honorem: *Capite 12. & 13.* Officium Regis à forma regiminis naturalis desumendum esse: *Capite 14.* itemque oportere ut Rex in gubernatione imitetur gubernationem mundi: *Capite 15.* Regis proinde curam esse, ut subditos ad vitam agendam secundum virtutem disponat. Peculiaris officia Regis *Libro secundo* exponuntur, rectissimo servato ordine: ac *primo Capite*, de Civitate & Castris instituendis agitur: *Capite secundo*, de locis eligendis, ubi Civitates & Castra erigantur: *tertio Capite*, de curanda copia rerum victualium: *Capite quarto*, de locorum amenitate, quæ minime negligi debeat: *Capite quinto*, de naturalium divitiarum affluentia. Hactenus vero S. Thomas. Cæpio officiorum Regis ordinem Auctor hæsit, qui opus complevit.

Quid est vero, quod Censor thesim illam reprehendat, quæ Libro 1. capite 15. legitur: *ad Regis officium pertinet, ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad cælestem beatitudinem consequendam*? An repugnantiæ paraveris ipsum Thomam, qui Quodl. 12. art. 24. ait: *Finis, quem intendit legislator civilis, est pacem servare inter cives; finis autem juris canonici tendit ad quietem Ecclesiæ, & salutem animarum*? Anilogiæ suspensionem tollit omnem Dominicus Soto Libro I. de Justitia & Jure quæst. vi. art. 4. *Principis finis, inquit, licet proximus sit quietus status Republicæ; supremus tamen est sumpterna felicitas, ad quam ille temporalis finis tendit*. Hinc perperam superiora Aquinatis verba à Barbavara intellecta: quasi in finem æternæ beatitudinis immediate tendat civilis potestas.

Timet etiam idem Censor, ubi nullus timor: ac si triumphare debeant Hæretici, qui omnia Principibus deferunt in contemptum Pontificiæ Majestatis. Immo ad incitas Hæreticos adigit Docteur Angelicus *Capite xiv.* „Sed quia finem fruitionis divinæ, inquit, non consequitur homo per virtutem humanam, sed virtute divina, juxta illud Apostoli ad Rom. 6. vers. 23. *Gratia Dei, vita æterna*: perducere ad illum finem non humani erit, sed divini regiminis. Ad illum igitur Regem hujusmodi regimen perinet, qui non est solum homo, sed etiam Deus, scilicet ad Dominum nostrum Jesum Christum... Hujus ergo Regni ministerium, ut à terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis Regibus, sed Sacerdotibus commissum est, & præcipue Summo Sacerdoti, Successori Petri, Christi Vicario, Romano Pontifici: cui omnes Reges populi Christiani oportet esse subditos, sicut ipsi Domino Jesu Christo. Utriusque potestatis originem longe lateque diversam docet Thomas.

Æque robusto depellit brachio Hæreticorum audaciam *Capite xv.* vel eo loco, quem imprudens notavit Barbavara: „Si igitur, inquit, qui de ultimo fine curam habet, præesse debet his, qui curam habent de ordinatis ad finem, & eos dirigens suo imperio; manifestum ex dictis fit, quod Rex, sicut dominus, & regimini, quod administratur per Sacerdotii officium, subdi debet; ita præesse debet omnibus humanis officiis, & ea imperio sui regiminis ordinare. Cuicumque autem incumbit aliquid perficere, quod ordinatur in aliud, sicut in finem; hoc debet attendere, ut suum opus sit congruum fini... Quia igitur vitæ, quæ in presenti bene vivimus, finis est beatitudo cælestis; ad Regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad cælestem beatitudinem consequendam: ut scilicet ea præcipiat quæ ad cælestem beatitudinem ducunt, & eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicit. Quæ autem sit ad veram beatitudinem via, & quæ sint impedimenta ejus, ex lege divina cognoscitur: cuius doctrina pertinet ad Sacerdotum officium. Verissima, & optima sunt documenta, quæ Cyprio Regi instruendo traderet Thomas Aquinas.

Neque pluris censura æstimanda est, quæ doctrina notatur, tertio Capite Libri 2. tradita. Ait Auctor: „Dignior est civitas, si abundantiam rerum habeat ex territorio proprio, quam si per mercatores abundet... Nam civitas, quæ ad sui sustentationem mercationum multitudinem indiget; necesse est, ut continentem extraneorum convivium pariat. Extraneorum autem conversatio corrumpit plurimum civium mores, secundum Aristotelis doctrinam in sua Politica &c. Ait vero Censor: „Dum commercium extraneorum damnat, se Aristotelis potius, quam Pauli discipulum prodit. Nam Paulus ait: in Christo Jesu non est masculus, & femina, gentilis & Judæus, barbarus & Scythæ, ad Coloss. cap. 3. vers. 11. Quam inepia Apostolici textus adplicatio, quo vocato omnium gentium ad Religionem Christianam, ad Ecclesiam, ad Jesum Christum, ad salutem æternam significatur.

II. Solidiore nixu fundamenta censuram exercet Barbavara in Tertium Librum, & Quartum: quibus diversum confici opus, jam adnotavimus. Verba ejus sunt: „In tertio Libro, nullo prorsus jacto fundamento, Sacerdotale dominium, quasi spontaneam quemdam fetum, in lucem profert *Capite 10.* Item iudicio quodam nimis præcipiti, Federicum, Conradum, & Manfredum, tamquam omnium sceleratorum refugium, notat. Potestatem tam temporalem, quam spirituales Romani Pontificis confirmari putat ex loco Matthæi 16. *Quodcumque solveris super terram &c.* quasi Romanum Pontifex divino jure sit Dominus temporalis: plane nihil distinguens inter potestatem ejus temporalem, & potestatem quam habet in temporalibus in ordine ad spiritualia loco citato. In 12. Capite connumerat Christi Monarchiam cæteris hujus mundi Monarchiis: parum considerans ea verba Joan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Quod & apertius explicat *Capite 16.* ubi ait: Christus, licet ab infantia Rex esset Regum, permisisse tamen, ut Imperatores aliquot regnarent usque ad Constantinum. Quem ad hoc lepra percussit, ut cederet Beato Silvestro dominium orbis: ex quo consequens est, quoquot ante Constantinum Cæsares fuerunt, malæ fidei possessores fuisse. Talia vero meditata fuisse Divum Thomam ego nusquam crederim, licet fue-

luerit potestatis Pontificæ assertor semper gravissimus. In Capite 20. Imperialis regiminis novam domi-
nii formam commissurur, quam neque Regalem, neque Politicam esse ait: non advertens, quod divisio
illa regiminis in Regalem, & Politicam, inevitabilis est, utpote quæ sumitur à differentiis per negationem,
& affirmationem oppositis. Videlicet omne regimen vel est unius, vel plurium: ut mittam interim, quam
imperite probet assumptum. In quarto demum libro notat Aristotelem, quæ mala fide impegerit Socra-
ti communitatem uxorum: in hoc plane testatur, se minus legisse quantum Libros de Republica.

Multo plura historica spalmata, sane putidissima, potavit Petrus Pellican in sua Opusculorum editione:
quibus prædicti Libri duo sciantur, Tertius, & Quartus. Præcipua dabimus infra. Imperitum adeo fuisse
calumniam Thomæ Aquinatis, prudens dixerit nemo. At libros eosdem Thomæ suppositos, jam solidissimis
argumentis confestim. Adde, plura Libro tertio referri, quæ post obitum ejusdem Aquinatis acciderunt:
qualia sunt, inquit Echarodus, in Capite 20. electio Rodulphi Imperatoris sub finem anni 1273. & ejus mors
anno 1291. itemque electio Adulphi Nassoviæ Comitis anno 1292. & hujus occisio ab Alberto Austria
Duce anno 1298. Egit equidem vindicias Jo. Paulus Nazarius, ut quatuor integros Libros illos Aquina-
tati adjudicaret; quin id attamen peritis viris persuadeto poterit.

III. Hæc sua accidisse ætate, indicat Auctor loco citato: exemplum habemus, inquit, etiam modernis
temporibus, quod electi sunt Imperatores, videlicet Rodolphus &c. Ex his colligit Echarodus, libros illos duos
à Ptolomæo Lucensi scribi potuisse. Nec leve ad eos Ptolomæo asserendos, (addit ille) argumentum
est septem electorum institutio, quæ Capite 19. Libri 3. Gregorio V. tribuitur: nam Ptolomæus primus est
auctor cognitus qui Hist. Eccl. Lib. xvii. Cap. 11. hanc institutionem de eum referat... Nec ommitem-
dum, Auctorem istius Libri tertii dicere ab ea institutione 270. circiter annos effluxisse: quod mire
quadrat cum Chronologia Ptolomæi. Nam juxta illum Gregorius V. electus fuit anno 1021. & mortuus est
anno 1024. licet alii accuratiores aliter narrent: ab anno autem 1024. ad annum 1298. quo electus est
Albertus Austriacus, sunt 270. anni paulo plus: quæ etiam tempore scribatur Auctor.

Verissime Ptolomæi Chronologia dicitur Chronologia quadrare, quam secutus est Auctor libri tertii:
ac utraque eidem vitii inquinata est. Ait iste Capite 19. Ottonem, (ac successores duos) tenuisse impe-
rium usque ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otto: & ex nunc (ex Ottonis tempore) per
Gregorium V. provisum esse electionem, ut videlicet per septem Principes Alemania fiat, quæ usque ad ista
tempora perseverat: quod est spatium ducentorum septuaginta annorum, vel circa: ad tempora videlicet Alber-
ti, filii Rodulphi, electi, ut habetur in sequente capite 20. Hæc utique Ptolomæo consonant, qui Libro
XVIII. Hist. Eccl. capite 1. ad annum 1021. refert electionem Gregorii V. & capite 2. institutos narrat ad pe-
titionem Ottonis electores: obitum Gregorii V. cum anno 1024. illigat capite 5. & Libro XXIV. cap. 27. elec-
tionem Alberti Austriaci ad annum 1298. refert. Quod intervallum temporis annos complectitur 274. At ve-
ro Otto XII. coronam indeptus est Imperialem anno 996. quam ad annum 1002. gestavit: Sedemque Romanam
Gregorius V. tenuit ab anno 996. cui successit Silvester II. & anno 1003. primum Joannes XVII.
tum Joannes XVIII. Quando vero, quomodo, & à quo septem electores instituti fuerint, sub judice lis est.
Duos illos, de quibus agimus, libros de Regimine Principum, si elucubrasset Ptolomæus dicendus sit, in hoc
opus colligitur ipsum incubuisse circa annum 1229. vel insequentem.

CAPUT III.

Dubia ponuntur, quæ posteriorum librorum Auctorem indicant diversum à Ptolomæo Lucensi. Casimirus Oudi-
nus refertur, qui opus integrum attribuit Ægidio de Columna.

I. Romere mihi liceat, quæ incidunt haud levia dubia, num Ptolomæo Lucensi prædicti Libri duo
tribui debeant? Sunt enim ex diametro pugnantia quæplura vel certe longe diversa, quæ Ptolomæus
narrat in Historia Ecclesiastica & in Annalibus, quæve leguntur in altero, quo de agimus, Opus-
culo de Regimine Principum. Libro 11. cap. x. sic legitur: De Constantino apparet, qui Silvestro in Impe-
rio cessit. Item de Carolo Magno, quem Papa Adrianus Imperatorem censuit. Item de Otone I. qui per Leo-
nem creatus, & Imperator esse constitutus. Non ita Ptolomæus, qui Libro xvii. Hist. Eccl. capite xvii. ait:
Venit Romam prædictus Otto... in Imperatorem coronatus: utrum autem per Papam Joannem XII. aut
post cessionem ejus. Historia non facit mentionem, excepto Cosentino, qui dicit, Joannem XII. ip-
sum coronasse. Sed Decretum aperte dicit, quod Leo VIII. dist. 63. cap. in Synodo, coronavit eum, præ-
sente Synodo, & eisdem dignitates eidem contulit, quas Adrianus I. Carolo Magno concesserat. Non
ille fuit Antipapa. Spiritum norunt omnes, quod indicatur Decretum à Gratiano recensitum: in quo præ-
terea de corona Imperiali Ottoni imposita mentio nulla. Narraverat Libro xiv. capite xxxi. Carolo conlatis
ab Adriano dignitatem Patriatus, & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam. At
Libro xv. capite iv. dissertissime tradit, non Adrianum, sed Leonem Papam III. coronam capiti ejus im-
posuisse, ipsum quoque à cuncto Romano Populo acclamatum esse Imperatorem. Equidem Libro v. cap. 11. Constanti-
nus Ptolomæo sic creditur, coronam & omnia jura Imperialia tradidit Deo Silvestro: & Caput levavit
Constantinus dist. 96. ex quo sicut ille quod narrat deponit, ita deponere alius quisque facillime
poterat.

Ibidem hæc habet Auctor Opusculi: Federico secundo hoc idem accidit (quod deponeretur) per Hono-
rium, in meatum Innocentii Successorem. Innocentio III. successerat Honorius III. anno 1216. & huic Gre-
gorius IX. anno 1227. tum Cælestinus IV. anno 1241. tum etiam Innocentius IV. anno 1243. Fridericum
II. coronaverat Imperatorem Honorius III. ipsuniquæ anathemate percussit Gregorius IX. ac demum ab Impe-
riale depositus Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi anno 1244. Ptolomæus Libro xxiv. cap. 111. Ad-
vocatis Prælati Lugdunum... Concilium est inchoatum... Innocentius Imperatorem Romanum deposuit: quæ
Opusculi Auctori repugnant.

Capite xlii. ait Opusculi Auctor: Quas quidem vires Monarchiæ, post Christi veri Domini natiuitatem,

gessit, Augustus, quatuordecim annos toto orbe terrarum subactis. Inopra & obscura sunt verba, quæ totum
orbem in pace compositum indicare videntur, cum in terris ortus est Filius Dei. Id autem, ad lucide Ptolomæo
mæus exprimit Libro 1. cap. 111. Bodem etiam anno, inquit, totus mundus magna pace floruit: ut tradit
Orosius. Bella Romanorum nulla ab anno U. C. 748. ad annum 752. ab Auctoribus descripta, peritii Viri
observant contra Joannem Massonum Anglum.

Capite xvi. dicitur Liberius in caritate fidei vacillasse ex multa persecutione Constantii. Mihi sunt Pro-
tomæi verba Libro v. capite xx. Computant, inquit, totum tempus Episcopatus, in quo fuit verus catholi-
cus (Liberius) & in quo errori Constantii favit... Defecit in zelo, quia ab inde gravatus ætate.

Capite xviii. hæc habentur: In cuius (Caroli Magni) persona Adrianus Papa, congregato Concilio in ur-
be, Imperium à Græcis transulit ad Germanos. Hanc translationem sub Leone III. peractam narrat Ptolomæus
Libro xv. capite iv. Leo Papa, inquit, coronam capiti ejus (Caroli) imposuit: & à cuncto
Romano populo acclamatum, Carolo à Deo coronato Augusto Magno & pacifico Imperatori vita & victo-
ria. Hæc autem acclamationem, & coronationem factam per Leonem, omnes Historiæ ponunt... Bistic
ablati Patrii nomine, Imperator & Augustus est appellatus... Sed considerandum est propter quam-
dam Glossam... quod Stephanus II. non fecit translationem Imperii à Græcis ad Germanos, ut hic (sub
Leone III.) patet: sed definitur faciendam &c. In veritatem Historiæ, sive quam Auctor Opusculi nar-
rat, sive quam Ptolomæus, diligentius non inquirō: pugnantia dicta animadvertenda propono.

Ibidem: Secundum Concilium fuit Constantinopoli, sub Cyriaco Papa celebratum: quidam tamen dicunt
sub Damasio. Animadvertit Cyriacum pro Siricio invehctum. Aliter Ptolomæus Libro vi. cap. v. Propter quam
causam (hereseos à Macedonia excogitate) in Constantinopoli fuit Sancta Synodus celebrata CL. Episcoporum
sub Damasio.

Ibidem: Quartum Concilium fuit celebratum in Chalcedonia DCXXX. Episcoporum sub Leone primo, præ-
sente Principe Martino. Ptolomæus Lib. viii. capite 11. Tempore Leonis primi, ex suo mandato, Mar-
tianus Imperator Concilium congregat DCXIX. Episcoporum. An unus, idemque Auctor, sibi adversus fuerit
in Episcoporum numero, qui varius tamen est apud diversos, & in nomine Imperatoris?

Capite xviii. Justinianus post cursum quartæ Synodi, centum viginti Episcoporum, presidente Julio Pa-
pa. Immo Vigilius Papa, non Julius, invitatus rogatusque ut præsidet, recusavit: causatus occidentalium
Episcoporum paucitatem, cum frequentes è contra ex Orientalibus Ecclesiis convenissent. Ptolomæus Li-
bro x. cap. 1. Sub Vigilio fuit una Synodus in Constantinopoli celebrata. Et cap. 11. in eo (Concilio) conve-
nerunt magni viri, ut idem scribit Justinianus, videlicet CLXV. Episcopi.

Ibidem: Adrianus, Concilio celebrato Romæ CLV. Episcoporum, & venerabilium Abbatum, Imperium
in persona Magnifici Principis Caroli à Græcis transulit ad Germanos. Ptolomæus Libro xiv. cap. xxxi. Adria-
nus... Concilium congregat in urbe CLIV. Episcoporum & Abbatum... ac glorioso Principi tradit potestatem
eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem, & dignitatem Patriatus. Utramque narrationem reji-
ciunt peritii viri: pugnant inter utramque animadvertit ego.

Capite xix. Otto I. in Imperatorem coronatur à Leone septimo. Fabellæ semel acceptæ inhaeret Auctor. Fi-
dem eidem præstat Ptolomæus loco superius citato: at Scriptorem etiam memorat qui coronam Imperialem
Otoni imposuit à Joanne XII. narrat. Leonem denique VIII. non Septimum numerat.

Capite xx. Electi sunt Imperatores: videlicet Rodolphus Comes de Ausburg: quo mortuo, assumptus est in
Imperatorem Comes Adolphus de Anaxone: quo occiso, assumptus est Albertus. Reges Romanorum fuerunt
Ptolomæus Libro xxi. cap. 141. Rodolphus Comes de Ausburg... anno Domini 1293. in Regem eligitur Ale-
manniæ. Libro xxiv. capite xxvi. anno Domini 1292. convenerunt electores Alemanniæ... & in Imperatorem
eligunt Comitem Adolphum de Nassau. Hic Adolphus Rex congregavit exercitum. Et capite xxxv. Albertus
fuit electus in Regem Alemanniæ ab Electoribus congregatis Aquisgranum anno 1298. Paria in Annalibus refert.
Hæc discordium dissonantia dubium ingerit, quod peritioribus expendendum relinquo, num illud Opuscu-
lum de Regimine Principum elucubraverit Ptolomæus?

II. Censura sequitur Casimiri Oudini, quæ peculiare exposcit examen. Verba ejus sunt. Huius Opus-
culi de Regimine Principum meminere veteres omnes... nimirum Ptolomæus Lucensis, Bernardus Gui-
donis, Nicolaus Trivetus, S. Antoninus: contra quos omnes agere durum arduumque est, quamvis ne-
cessarium videatur. Natalis Alexander ditos saltim Libros posteriores non esse S. Thomæ censet... Porro
ut priores duos libros Sancto Thomæ assereret, ostendere debuisse ex MSS. Codicibus, additionem fac-
tam esse librorum posteriorum... Præterea libri isti quatuor inter se connectuntur, eundemque præse-
ferunt Auctorem... Itaque dicendum, vel errasse Nomenclatores omnes... vel Opusculum istud perisse,
quod vere S. Doctor de argumento isto conscripserat. Non errant probatissimi veteres Nomenclatores:
nec perit genuinum à Thoma confectum Opusculum, quod primum librum, ac secundi partem com-
plectitur. Codices Manuscriptorum Romanos, Parisienses, Venetos jam recensuimus, qui prædictum opus
non completum Thomæ adjudicant: quod etiam à Joanne de Columna adnotatum vidimus. Quam longe
vero priores duo, ac duo posteriores Libri differant, cæcus esto qui non agnoscat: unde labitur corrumpitque
Oudini argumentum, quod eorum inter se connexionem innititur.

Integrum Opusculum, sive Libros duos posteriores, sive priores duos consideres, ab Aquinate abjudi-
candum pronuntiat ille. Cur vero? Sane, inquit, in MSS. Codicibus Bibliothecarum Angliæ, & Hiberniæ,
(quos plurimos recenset) hoc opus constanter Ægidio Romano, seu Columnæ, attributum est. Opus, de Regi-
mine Principum pariter inscriptum, elucubrasset Ægidium, inficiatur nemo. Probandum fuerat, Ægidianum
Opusculum ab eo non differre, quod Aquinari tribuitur, sive libros duos priores consideres, sive postero-
res duos. Cur etiam? Quia opus istud, inquit, sub nomine Ægidii Romani expresso, impressum fuit Ro-
mæ anno 1492. in fol. antequam inter Opuscula S. Thomæ Aquinatis à Fratribus Ordinis Prædicatorum
pudore omni abjecto, primo loco invideretur. Item Venetiis iterum anno 1598. in fol. sub nomine Ægidii
Romani recusus est. Romæ tandem anno 1607. in 8. ejusdem Ægidii Romani in vita præmissa authentica
per Hieronymum Samaritanum, eum collatione Opusculi ad MSS. Codices, nomen Ægidii præferentes.

